

ne aut magni aliquid aut perfecti polliciti videamur, nunc quidem ad *Opus Diplomaticum* nil nisi lapillulos quosdam collaturi.

§. IV.

Atque in quo miror Viri litteratissimi singularem nec satis praedicandam industriam, effecit SCHÖTTGENIUS, Rectorum procul dubio princeps, edito *Inuentario Diplomatico Historiae Saxoniae Superioris* b), vt nostratibus quoque ad Diplomatum Lusaticorum et notitiam et interpretationem facilius daretur aditus. Neque enim congescit, quotquot inuenit, euoluendis omnibus de rebus Lusatorum libris, publicas tabulas, vt confuse eas indicaret, aliisque disponendas et ad temporum rationem ordinandas relinqueret, sed ita congescit, indicauit, disposuit, vt, qui hunc consuleret indicem, argumentum, fidem, annum et Dionysianum et Indictionis, mensem, diem, locum scripti datique diplomatis, librum praeterea et auctorem, neque hunc singularem, sed si plures adessent, omnes, qui ipsum litterarum exemplum referrent, intelligeret comperiretque. Adiecit quoque illi magno indici, aliquos minores, quibus ordinem dierum, sanctis antiquitatis Viris festorum, ad commune nostrum Calendarium exigeret, colligeretque eundem in locum, quicquid de vnaquaque re, nomine, regionibus, vrbibus, municipiis, villis omnibusque aliis per mille annorum intervallum amplius in diplomatum occurreret argumentis. Quamobrem si haec nostrae reipublicae consuetudo, vt rei cuiusdam inuentori et magistro statuae collocarentur; magnopere meis ciuibus essem auctor suatorque, vt memoriae honorisque causa, eximio illi decernerentur in arte Diplomatica magistro, Schöttgenio nostro, qui viam primus ad Historiam Diplomaticam et Diplo-

mati-

Henneberg, Voigtland, wie auch Anhalt, Quedlinburg und Mansfeld anbetreffend, so viel deren in öffentlichen Drucke zu haben; in chronologischer Ordnung, von A. 800. bis 1741. ent-

halten, nebst einem fünffachen zum nutzbaren Gebrauch eingerichteten Register, ausgefertigt von CHRISTIAN SCHÖTTGEN. Halle 1747. Fol.